



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem
Varia Ervditione Noviter evoluta**

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

Ethicè.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

SYMBOLVM LXXVII.

Fax Belli Trojani, Paris & Helena,

Homerus in Iliade. Virgil. lib. 2. Æneid.

Ethicè.

1. Prognostica pueritiæ. 2. Helena, funesta fax libidinis. 3. Pulchra forma in impudico corpore. 4. Feminae bellorum causæ. 5. Mollities juvenum. 6. Stoliditas juvenum in delectu bonorum & malorum. Arrogantia feminarum.

BIs capta & diruta est Troia; prius ab Hercule ad persequendum injuriam à Laomedonte acceptam, quo tempore urbi nomen fuit *Ilium*, de quo in Laomedonte. Postea à Priamo restituta, & adversus hostium minas validis propugnaculis communita, à Græcis est everfa. Cujus everfionis hæc origo & series est. Hecuba Priami conjux, cum aliquando uterum ferret, jamque partui vicina esset, secundum quietem, faculam sibi parere visa est, adeo luculentis flammis, ut iis tota urbs conflagraret. Rex consultis ariolis, cum diri ominis, & portentosum somnium esse didicisset, puerum deinde natum exponi, & necari præcipit. Miserati scitissimum infantem ministri, & quod ab Hecuba regina id in mandatis habebant, parcunt interimere: exsectam canis linguam pro indicio pueri jugulati ad regem afferunt. Forre fortuna pastor quidam in ripa fluminis jacentem infantem conspicatus, eum tollit, & cum liberis suis educare pergit. Qui cum atate jam procederet, seque pastore illo genitum constanter crederet, cum sodalibus ad *Idam* montem pecus alacriter pascebat, & ab iis propter corporis egregiam speciem, & minimè vulgarem, aut pastoritiam indolem, litium causarumque judex, & arbiter deligebatur; cujus sententiis sine ulla recusatione parebant. Post longum intervallum cognitus, ac receptus à patre Priamo *Paris*, (alio nomine Alexander) honorificè, ut decuit, est habitus. Affecit eum Græciæ visendæ, & varios hominum diversorum mores cognoscendi mira cupiditas. Ergo viginti navium classem à patre obtinet, Spartamque navigat. Erat Priamo cum *Menelao* Spartanorum rege vetus hospitium, qui proinde Paridem amanter ac regiè tra-

stavit. Sed cum in *Cretam* insulam ad cernendam hereditatem sibi necessario discedendum esset, *Helena* uxori Troianum hospitem commendavit. Ille mulieris venustate captus, precum blanditiis mollem alioqui, & flexibilem animum ad suam voluntatem traduxit, Ilium avexit: uxoris loco adulter adulteram habuit, & hanc gratiam bene merenti hospiti *Menelao* retulit. Passus est hoc, & connivit ad turpitudinem *Priamus*. Cuius indignitate facinoris stimularus *Menelaus*, mittit, qui *Helenam* reposcant. Ubi vidit se actum agere, cum fratre *Agamemnone*, *Mycenarum* rege, de bello Trojanis inferenda consultat. Brevi tempore universae *Graciae* Principes cum eo conspirant: copiae undique ingentes contrahuntur: magno navium numero ad Ilium contenditur: in *Aulide* *Boeotiae* portu, foedus percutitur, non soluturos obsidionem quoad civitatem funditus deletam conspiciant. Quod etiam re praestiterunt. Itaque tantarum cladum, quae postea utrinque sunt acceptae, una mulier causa, & caput extitit, totisque annis decem pro adultera concursum & dimicatum est.

Aliam everse Trojae causam referunt Poetae in Junonis indignationem ob spretam eius a *Paride* formam. Virgil. lib. 1.

Nec dum etiam causa irarum, saevique dolores

Exciderant animo: manet alta mente repostum

Judicium *Paridis*, spretaque injuria formae.

Rei narrationem hanc accipe. Eo tempore, quo *Paris* etiamnum adolescens inter pastores agebat, Dii omnes, Deaque convocatae, ad nuptias *Thetidis* & *Pelei* accesserant, praeter *Discordiam*, unam ex infima *Furiarum* gente, quam nemo invitarat. Id illa graviter ferens, pomum elegantissimum, ex auro confectum, per ostium injecit, cum inscriptione: *ἢ καλὴ λαβέτω*: pulchra accipiat; seu *Pulchriori* detur. Mox exortas inter deas de pulchritudine certantes, praesertim *Innonem* inter & *Palladem*, & *Venerem*, quibus reliquae Divae de praestantia formae facile concesserant. Nemine sustinente pronuntiare sententiam, eius rei iudicium Jupiter ad *Paridem*, in monte *Ida* tunc greges pascentem, deferri jubet. Pro se quaeque trium dearum magnis juvenem promissionibus sollicitabat; *Inno* Asiae, Europaeque imperium, *Pallas* Sapientiam totam *Graciam* maximam, *Venus* feminarum speciosissimam pollicetur, si sibi venustatis victoriam adjudicet. Haerebat aliquamdiu anceps juvenis in dicenda sententia: nam hinc ambitio, & regius dominatus stimulabat; inde laudis cupido ad famam Sapientiae conciliandam invitabat; ex alia parte voluptas

ptas & libido animum permulcebat. Victus denique Veneris blanditiis, pomum ei porrigit aureum, & pro ipsa litem pronuntiat; pessimò suo malò, familiæ regiæ, totiùsque patriæ. Nam cum id ætatis, Helena, Menelai regis Spartanorum conjux, omnes feminas pulchritudine præstaret, Venus in ejus amores Paridem accendit; quare contractis aliquot navibus in Græciam, ut diximus, se contulit; violato hospitii jure, Helenam rapuit, & in patriam abduxit. Injuriam tam insignem ulturi Græcorum Principes, mille navium classe in Asiam navigarunt, omniâque ferro, flammâque vastârunt, ipsâ etiam Troiâ, Phrygiæ regionis capite, in cineres redactâ. Quòd autem injuria privata totam Græciam in communem conjurationem traxerit, hæc causa traditur. Cum Græcorum fortissimus & præstantissimus quisque Helenam sibi uxorem expeteret, tum propter generis splendorem, tum propter eximiam formam, cujus ipsa miraculum erat: pater *Tyndarus*, Rex *Oebaliæ*, maritus *Ledæ*, veritus, ne uno delecto, & cæteris anteposito, alios sibi inimicos atque infensos redderet, eos omnes ad jusjurandum adegit, ei, cui filiam suam in matrimonium collocaret, ceteros opitulaturos, si qua in illum propter Helenam à quoquam inferretur injuria. Quo jurejurando ab hominibus dato & accepto, Helenam Menelao despondit; ita non multò post tempore raptâ Helenâ, Principes Græcorum in societatem belli venerunt, jurisjurandi religione obstricti. Cæterum Paris, à *Pyrrho*, *Achillis* filio, cognomento *Neoptolemo*, interfectus, parenti inferias missus est. Helena quoque parem sceleratæ vitæ exitum invenit. Nam occiso *Deiphobo*, qui eam post Paridem occisum duxerat, Menelao legitimo viro est restituta, cum annos esset nata triginta quatuor; & innumeris interea complexibus adulterinis scædatum corpus, diversa per cubilia circumtulisset. Post octennii maritimos errores, vix tandem Lacedæmona reversa, Menelao maritò fati ereptò, primum in exilium est ejecta, *Nicostrati* cujusdam, atque *Megapentis* Spartanorum factione. Deinde Rhodum in insulam trajiciens, cum hospitium petisset *Tlepolemi*, ibi regnantis: propter easdem illas blanditias, quibus hucusque maritos in transversum egerat, invisa, suspectâve *Polyxoni*, *Tlepolemi* conjugii, suæque propingvæ; per fraudem invitatur in balneas, horto domestico confertas. Ibi dum lavatur, ancillæ cum *Furiarum*, *Orgia* celebrantium, habitu in eam immissæ sunt à domina: quæ comprehensam, & arbori infelici suspensam, laqueo demum necarunt. Is Helenæ finis fuit: ut videlicet ad restim illi res veniret, cujus adulteriorum

malèpretiosa furta, Trojanorum sexcentorum, septuaginta sex millium; Græcorum autem octingentorum octoginta sex millium, interitu steterunt.

Ethica.

I. (a) Qualis futurus esset Paris, præfagiò *Fax* ostendit, quam sibi videbatur parere Hecuba. Eventus docuit, somnium non fuisse, nam *Facis* instar in turpes libidines exarsit juvenis: & ex hac flamma incendium sparsit, quod immensas Phrygum opes consumpsit, potens illud *Ilium* funditus evertit. Jam tum cum natus est hic Veneris *Pullus*, fatalis Asiæ cometes in puerperæ cubiculo illuxit. Multum equidem interest, quibus signis, ominibus, portentis primordia vitæ vel illustrentur, vel infamentur. Georgii Castrioti, vulgò *Scanderbegi*, herois fortissimi secutura facinora, matri serpens per quietem objectus, indicavit; qui totum Epirum operire, & caput in Turciam protendere visus est: quod Epirum, Græciæ finitimam regionem, principatum hæreditarium, Turcis erepturus, & longè latèque terrorem ac damna circumlaturus esset. Acinacis præterea brachio impressam effigiem ab utero tulit materno, futuri bellatoris ostentum. Barletius in ejus vita lib. 1. c. 82. In Paridis pueri brachium si quis peritior conector oculum intendisset, sanè mollis citharæ vestigium deprehendisset. Neque progressu ætatis melior evasit hic Cypridis columbulus: ætas enim prima, post tincturam voluptatis, ægrè alium colorem bibit. Et Constantinus ille Copronymus post sacros fontes ventris onere in baptismo fœdatus, ita porò vixit, ut nihil præter amorem sordium & immensa scelera in eo observaretur. Baron. ann. 775. Haud melior Julianus, Christianæ fidei desertor impius, de quo Gregorius Nazianzenus ejus contubernalis ita scripsit, orat. 1, in Julian. Cum Athenis cum eo versarer non malum hujus viri conjectorem me fuisse memini. Me morum ipsius inconstantia, atque incredibilis quædam mentis emotio vatem efficiebat: Si quidem vates ille optimus est, qui rectè conicere novit. Neque enim mihi quidquam boni ominari videbatur, cervix non statura, humeri subsultantes, & ad æquilibrium subinde agitati, oculus insolens & vagus, furiosèque intuens, pedes instabiles & titubantes, nasus contumeliam & contemptum spirans, vultus lineamenta ridicula idem significantia, risus petulantes & effrenati, nutus & renutus temerarii, sermo hærens spiri-

(a) *Præfagia pueritia.*

tūque concisus, interrogationes stultæ & præcipites, responsiones his nihilo meliores &c. Quid singula describere necesse est? Talem ante opera conspicatus sum, qualem in operibus postea cognovi. Quod si quidam ex eis, qui tum simul erant, quidque dixerim, audierunt, nunc mihi præstò essent, haud ægrè testarentur. Quibus, ut hæc conspexi, statim prolocutus sum: *Quale malum Romanorum terra nutrit!* præfatus licet, ac mihi, ut falsus vates essem, imprecatus. In aliena persona descripsit S. P. Paridem, hominem ad patriæ calamitates natum; Portentum & exitium Phrygiæ. Non vanus de hoc monstro augur est Nereus apud Horatium, lib. 1. Od. 15.

Pastor cùm traheret per freta navibus
Idæis Helenam perfidus hospitam.
Ingrato celeres obruit otio
Ventos, ut caneret fera

Nereus fata: malâ ducis ave domum,
Quam multo repetet Græcia milite,
Conjurata tuas rumpere nuptias,
Et regnum Priami vetus.

Eheu, quantus equis, quantus adest viris
Sudor? quanta moves funera Dardanæ
Genti? jam galeam Pallas & ægida
Currusque & rabiem parat.

Nequicquam Veneris præsidio ferox
Pectus cæsariem: gratæque feminis
Imbelli cithara carmina divides:

Nequicquam thalamo graves
Hæstas, & calami spicula Cnossii
Vitabis: strepitumque, & celerem sequi
Ajacem, tamen heu! serus adulteros
Crines pulvere collines.

Quem tu, cervus uti vallis in altera
Visum parte lupum, graminis immemor,
Sublimi fugies mollis anhelitu
Non hoc pollicitus *Tua*.

Iracunda diem, proferet Ilio
Matronisque Phrygum classis Achillei:
Post certas hiemes uret Achaicus
Ignis Iliacas domos.

Imbellem & effeminatam Paridis naturam etiam alii Poëtae perstringunt: in quibus Ovidius epist. Helena

Bella gerant alii; tu Pari semper ama.

Huc facit illud Æliani lib. 9. Var. hist. c. 37. Cùm Alexander M. venisset Ilium, & quidam illi ostenderet Alexandri Priami filii, lyram; ille respondit, malle se lyram Achillis videre, quàm ille fortium virorum laudes cecinisset, nam τὴν πάριδος τὴν ἀέγ' ἦσαν ἢ λυγρὰ, εἰ μὴ μὲν μοιχικὰ καὶ οἷα αἰρεῖν γυναῖκα θύγειν; Paridis lyra quid cecinit aliud, quàm adulteris accommodata carmina, & feminis captandis, demulcendisque magis convenientia? Strenuus imitator Paridis fuit Nero illud ex crudelitate & luxu conflatum monstrum, qui ardente, quam incendit, Roma, scenico habitu, bellus citharædus prodiit, & ἄλωσιν, hoc est, Troiæ conflagrantis expugnationem cecinit. Uterque leno turpissimus, citharâ incendiariâ miserandam patriam in summum luctum & calamitatem dedit.

II. (b) Helena quoque non pilò fuit melior amasiò suò; quin etiam deterior: Rapta primum est à Theseo; deinde nupsit Menelao: hunc reliquit, secuta adulterum Paridem: neque huic fida, etiam cum Achille, aliisque turpiter consuevit. Denique Deiphobo, Paridis germano nupta, maritum perfidè prodidit, & Menelao trucidandum objecit, ut adulterii offensionem apud eum tolleret. Atque his scelerum gradibus eò demum evasit, ut Troiam ipsam (quod infra memorabimus) in manus hostium tradiderit, unde patriæ communis Erynnis à Marone vocatur, Græcis pariter ac Trojanis odiosa. Solo ferebatur aspectu viros emasculare, & in amorem sui pellicere. Paridem certè in hospitali mensa, lascivo cepit oculo. Et Æneas ipse, cùm furibundo similis, stricto gladio in hostes sæviret, aspicerétque Helenam pavitantem, & sese in sacello Veste abscondentem, continuavit tamen manum, sub specie quidem, quia.

----- Nullum memorabile nomen

Feminea in poena est, neque habet victoria laudem: re tamen vera mulieri, quæ erat pestis, clades, & extrema Phrygiæ calamitas, pepercit; nec voluit extinguere nefas, aut animum explere

Ultricem flammæ, & cineres satiâsse suorum: justissima cæde parentando tot millium sanguini, quia scilicet

----- se clara videndam

Obtulit, & pura per noctem in luce refulsit

(b) Helena quàm funesta fax virorum.

Alma

Alma parens, confessa Deam : dextrâque prehensum
Continuit.

Nempe plus potuit Venus, quàm Mavors, qui quantum in vindictam, in vulnera, in strages concitavit Æneam, tantum eum remorata est mater amorum; quæ jam antè Paridi Helenam, nunc etiam Æneæ conciliabat, ut sineret macham vivere, nec communem patriam ulcisceretur. 2. Æneid. Quid quòd Menelaus ipse, tot injuriis laceffitus, adulteriù ultione inflammat, temperarit iræ, nec meritis de prostibulo pœnas sumperit. Libet apponere, quòd scribit Clemens Alexandrinus lib. 1. Stromat. Menelaus Trojà captâ, cum incitaretur vehementer ad Helenam occidendam, victus eius pulchritudine, gladium abjecit, osculum petivit. Unde verum esse intelligas illud Anacreonticum

Νικᾷ δὲ καὶ σίδηρον

Καὶ πῦρ καλῶ τις ἔσται.

Venusta vincit ignem,

Ferrumque forma vincit.

Id expertus Salomon, in Proverbiis monet cap. 6. *Non concupiscat pulchritudinem eius cor tuum, nec capiaris nutibus illius.* Oculorum radii totidem sunt sagittæ, & amoris jactus; qui vulnerant; nutus & palpebrarum ictus, totidem sunt fulgetra, quæ perstringunt, & attonant intuentem. Sunt reia quæ implicant: sunt faces, quæ incendunt. Et Si- racides cap. 9. *averte faciem tuam à muliere compta;* qualis fuit Helena: & *ne circumspicias faciem alienam.* (circumspexit Paris) *propter speciem mulieris multi perierunt;* tam Græcorum quàm Trojanorum. Ex hoc aspectu concupiscentia, quasi ignis exardescit. Hinc illud incendium.

Fuere Troës, Ilium;

Tros Ilium fuere.

Fuit, fuit Domus inelyta,

Nomenque Dardanorum.

Impressit altis mœnibus

Hostile Mars aratrum.

Ubi steterunt Pergama,

Nunc fluctuant aristæ. *Iac. Balde de van. Mundi.*

Scintilla una ex oculis evibrata, paulatim serpit per animum; donec exardescat, & in flammam libidinis erumpat, latèque incendium per urbes, & provincias spargat.

Ignis, Alexandri Phrygio sub pectore gliscens

O qua-

O quales, & quantas clades ac strages dedit!
 Usurpes hic illud Jacobi. 3. *Ecce quantus ignis, quam magnam flammam incendit.*

----- Paridis propter narratur amorem

Græcia barbariæ lento collisa duello. Horat. lib. 1. epist. 3.

Anno Mundi 2871. (cum suspirio memorat recentior historicus) Troja post decennem obsidionem, & octingenta Græcorum millia à suis cæsa (sanè utrinque decies contena millia dicuntur cecidisse) immisso per prodicionem equò ligneò, nocte à Græcis invaditur, vastatur, incenditur: sævitum in captos, & præter nocentissimam omnium Helenam, parcitum nulli. Prò belli dedecus! ob mulieris libidinem tam multos cæsos! nec victoriæ minor infamia; quàm belli causa, pœnæ expers fuit. Helena Europam & Asiam ut gladiatorum par committens, spectavit è podio pereuntem orbem; digna omnium prima ruinis eius subferti. Hoc potuit illecebrosa forma, de cuius tyrannide quidam ita scribit. Amorum potiùs bella gerit, quàm armorum jure: illecebris grassatur non infidiis: vulnerat rosas, non spinis. Eius oscula sunt spicula, tormenta sunt delitiæ, terrores gratia, cruor nectar, lenocinia laquei, clades voluptas, machinæ lepores, vulnera Veneres. Triumphat oculis, tacendo tonat, aspectu fulgurat, & non uno, non dicam impetu, sed intuitu, pectus invadit, cor obsidet, expugnat animum, sibi que tributarium facit. Quid? quod sine voce loquitur; sine vi vim affert, sine catenis allicit, sine præstigiis immutat mentem; & vidisse vicisse est; & visam esse, triumphasse. Testis Helena, quæ jam palo alligata, atque obruenda lapidibus, oculorum fulgure, de licitorum manibus lapides excussit. Pomey in Cand. Rhet. ex Euripidis Scholiaste.

III. (c) Et hæc ipsa pulchritudo in contaminato libidinibus animo quid aliud erat, *quam circulus aureus in naribus suis?* Prov. 10. Talis sus erat Helena, vecors, lasciva, impudica, adultera, quæ sese ultrò offerebat procis, aureo circulo, hoc est splendidâ formâ raptis, trahendam, & instar porcæ per lutum & cœnum impuræ voluptatis volutandam. Quod sues rostro faciunt terram effodiendo; hoc facit libido, inquinatum corpus per fœdas concupiscentias circumagendo. Splendet vultus, splendet cultus, merum dixeris aurum. Sed quid hic fulgor in nare porcina? quid venusta facies in libidinoso animo? margarita in luto, aurum in cœno, gemma in sterquilinio? Meritò S. Cyprianus: Nullarum ferè pretiosior cultus est, quàm quocum pudor vilis est. Et verò

(c) *Forma in impudico corpore.*

verò flagitiosæ libidinis tanta est contagio, ut ex animo in corpus, ex corpore in vestem se transfundat. Diodorus scribit lib. 16. Phocensium Principis cuiusdam uxorem, quod torquem Helenæ Delphis suspensum inde abripuisset, gestasétque & ipsam quasi contactu ornatûs meretricii pollutam, incidisse in meretriciæ prostitutionis turpitudinem. Adeò pestilens venenum est, quod Veneris è spuma nascitur.

IV. (d) Quis recenset, quot bella, quot duella propter feminas sint suscepta, de quibus cani possit illud Statianum 1. Achilleid.

Ecce novam Priamo facibus de puppe levatis
Fert Bellona nurum.

Helena fax quanti belli! Et cui cladî aut voluptas causam non dedit, aut femina tædam non admovit? sub Paride luscò staret adhuc Ilion. Unus Ienonis oculus, Asiæ oculum extinxit. Raptæ facies adulteræ, flammam sparsit, totam Phrygiam incendit. Nulla aut rara mulier in cladem sterilis est: Bellare si nequit, parit bellatores. *Iocasta* (Oedipi mater fuit, & ex filio gravida, parens Eteoclis & Polinici, de quibus Symb. 53.) uterus quantum nefas, quæ monstra militum tulit? Jac. Bald. in *Batrachyomachia*. In ferrum & vulnera non viritum tantum, sed totis exercitibus itur. Eiusmodi bella quædam recenset Ovidius 1. amor. eleg. 12.

Nec belli est nova causa mei: nisi rapta fuisset

Tyndaris, Europæ pax Asiæque foret.

Femina silvestres Lapithas, populûmque biformem

Turpiter apposito vertit in arma mero.

Femina Trojanos iterum nova bella movere

Impulit in regno, iuste Latine, tuo.

Femina Romanis etiam nunc urbe recenti

Immisit foceros, armæque sæva dedit.

Alexander, quantus heros, instinctu Thaidis meretriculæ Persopolim urbem combussit. Curt. lib. 5. Taceo vetera, unum exemplum prodam, quò Libido unius hominis rem Christianam gravissima calamitate in Oriente afflixit, circa annum Domini 1144. memorante Sigonio in *Hist. de regno Italiae*. Erat urbs in Mesopotamia trans Euphratem, nomine Edessa, à diebus Constantini M. Christianorum cultui dedita, & beatissimi Thomæ Apostoli allatis ex India reliquiis incluta. Hæc, cum Saraceni quondam Alexandriam, Antiochiam, Hierosolymam, Damascum, Ægyptum, Syriam, aliasque Orientis provincias occupassent, atque

M m m

in

(d) *Femina multorum bellorum & cladum causa.*

in his omnibus nomen Christi, quamquam splendidissimum extinxissent, sola inter medios hostes, usque ad tempus superioris Hierosolymitanæ expeditionis mansit incolumis. Tunc verò à Saracenis vexata, cum auxilium à Latinorum exercitu petiisset, Balduinum, Godifredi Regis fratrem accepere Principem; Balduino verò, post Godifredum ad Regnum Hierosolymorum evecto, principatus demum ad *Ioscelinum* juniorem pervenit. Illo dominante, *Sanguinus* Saracenorum, sive Turcorum Princeps, urbi obsidionem admovit. Eo tempore Armenius quidam civis Edessæ, jure hæreditario turrinam quandam mœnibus urbis continentem incoluit. Hujus filiam eximia specie virginem, cum infano deperire Princeps amore cepisset, nec blanditiis ac promissis ullis ad sui pellicere obsequium potuisset, injustè admodum fecit, ut vim adhibuerit. Armenius illatam injuriam magno dolore ferens, ut Principem ulcisceretur, clam urbem prodidit Saracenis. Quippe nocte Nativitatis Dominicæ, cum sacræ in templis vigiliæ agerentur, invitatos multis conditionibus hostes per turrinam suam accepit. Saraceni in urbem intromissi, Christianorum sanguinem sitientes, templa subito, infesto impetu invaserunt, atque Archiepiscopum sacris operantem miserè unà cum Clero mactaverunt, ac reliquam virorum ac mulierum turbam stupore, metuque ad omnem sui defensionem obtorpescentem crudelissimè trucidarunt. Ac demum tota Mesopotamia in potestatem redacta, ipsum Hierosolymorum Regnum, maximum in terrorem ac periculum adduxerunt. Quæ causa fuit, ut postea, concionante S. Bernardo, Conradus Imp. expeditionem cruce signatorum suscepit, & Ludovicus Rex Galliæ magnas copias contraxerit, sed infelici eventu. Hæc Sigonius. Ex quibus apparet, infamem Trojæ captæ causam, & miserabilem, improvisamque de nocte stragem, Edessæ renovatam fuisse. Has sanguinis thermas parat ille Puer, Cyprio metuendus arcu, & nefandæ animator flammæ. Quàm verè Beda: *Venus est illecebrosa voluptas, adulterina jucunditas, quæ mel habet in ore, fel in corde, aculeum in dorso.* Luxuria & libidine, ut quidam dixit, nihil est foecundius, nihil damnosius: his virtus, inquit Valer. Max. lib. 9. c. 1. atteritur, sopita gloria in infamiam convertitur, animi pariter & corporis vires expugnantur. Adeò ut nescias, ab hostibusne, an ab illis capi, perniciosius habendum sit. Romæ quondam Veneris ac Libitinæ templa conjuncta fuerunt: quia à Venere ad mortem brevis est transitus, & frequens. Cum verò oculi, quod diximus, sint in amore duces, Zaleucus Locrensum Rex ibi pœnam statuit, ubi culpam agnovit: adulteris oculos erui sanxit. He-

lenæ germana soror videri potuit Cleopatra, Ptolomæi Auletæ, Ægyptiorum Regis filia, quæ amoribus suis, præter alios multos, C. Julium Cæsarem, quantum virum! & M. Antonium, bello quondam inclytum, turpissimè irretivit: parùmque abfuit, quin Octavianum Cæsarem ipsum, orbis victoriam, suis lenociniis cepisset. De ea nobilis scriptor: Vita tota Cleopatræ, theatrum quoddam libidinum, & propter has, atrociorum quoque domesticorum, crudelitatis, bellorum, ac tumultuum fuit. Joan. Bissel. Decad. 4. Part. 3. ubi pluribus graphicè depingit feminæ tam pulchræ, quàm sceleratæ nequitias.

V. (e) Paridis mollities me admonet, ut hoc genus juvenculos, delicatos, effeminatos, semiviros paulò vivaciore colore exprimam. Horum igitur officium, & totum est negotium, crispare calamistro crines, ventilarè cinnos, aut cincinnos factitios humeris infundere, caput odorato pulvere conspergere, succussu humerorum annuere & abnuere, pedibus solo allisis obsequium deferre, arcuatis brachiis & cavis manuum volis, sed inanibus, salutationes peragere, moschum redolere, emissitios oculos in facies formosiores vibrare, vernilibus jocis honestas aures vulnerare, ligulis ornare pileum, calcos rosis futilibus, gladiolum cum ferrico capulo appendere lateri, follicante carbaso manicas inflare, noctu fidibus personare plateas, cantare ad limina, clandestina tentare colloquia, puellarum pudicitia insidiari, furtiva rapere oscula, ad modulos musicos agitare pedes, indulgere genio, evacuare pocula, lustrare alcâ, tempus otio transmittere, in multam lucem stertere, speculum de forma sæpe consulere, velle conspici, & alteri placere sexui, etiam citharæcedum agere, & Fescennina canere, mulieribus assidere, fabellis & flabellis earum blanditias captare, fila ducentibus, acus lini de sinu excutere, & id unum laborare, ut iis se amabiles similitudine morum faciant, seducantque, ac seducantur.

VI. (f) Sed ad Paridem. Hæc tot, tantarùmque calamitatum inundatio unde profluxit, nisi ex stolido iudicio, quò juvenis inconsultus & lascivus *Sapientia*, quam Pallas obtulerat, pravas Veneris illecebras anteposuit? Quid hoc iudice dementius? Si Palladi, uti par erat, primas addidisset; incomparabile donum, sapientiam, hoc est, rerum divinarum & humanarum scientiam, cognitionemque adeptus fuisset. Quid autem majus hoc munere? Sapientissimus mortalium testatur. *Melior est sapientia cunctis pretiosissimis, & omne desiderabile ei non potest comparari.* Prov. 8. Forma brevi deflorescit: Honores fluctuant ad arbitrium popularis

M m m 2

(e) Mollities juvenum, (f) Stoliditas juvenum in delectu bonorum ac majorum.

popularis auræ ; Divitiæ vi, furtove rapiuntur : Sola sapientia eripi non potest, quavis fortuna superior. *Gloriam sapientes possidebunt.* Prov. 3. Vice versa stulti infamiam, qualem Paris subiit, qui velut noctua de die cæcutiit, hoc est, ad sapientiæ, veri luminis objectum oculos non aperuit ; noctu verò, id est, in vanitate contemplanda acutissimus fuit. Aliter Alphonsus Rex Aragonum, qui rogatus, quomodo in tantis divitiis pauper effici posset ? respondit : Si sapientia venditaretur. Paris non admisit neque dono oblatam. Longè aliter elegit Salomon, qui, optio- ne à Deo data petendi, quidquid vellet, omnibus votis antehabuit sapi- entiam ; & ecce, quod ipsemet asserit Sap. 7. *Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa.* Opes scilicet, Potentia, Gloria, quæ reges omnium ætatum superavit. Paridi verò cum vecordî suo delectu vene- runt omnia mala pariter. Verè Seneca: Voluptas fragilis est, & brevis: fastidit objecta : quò avidius hausta est, citius in contrarium recidens : cuius subinde necesse est, aut pœniteat, aut pudeat. In qua nihil est aut magnificum, aut quod naturam hominis diis proximi deceat. Res hu- milis, membrorum turpium ac vilium ministerio veniens, exitu fœda. lib. 7. de benef. c. 2. Et quia tot mala ex unico malo, tam cruenta bel- la tam diræ cædes, clades, strages provenerunt, meritò *Discordia* hoc conflasse pomum, atque ad rixam concitandam projecisse fingitur. Hic oculos in pomum protoplastorum, & consequentes inde clades refle- cte.

VII. In Iudicio porrò hoc quanam partes litigantes fuère ? Tres Dææ ambitione inflatæ, de præstantia formæ decertabant. O superbum animal mulier ! Tanquam pro aris & focus pugnandum sit, sic feminæ pro venustatis prærogativa dimicant. Hinc illis formæ.

Est in consilio matrona, admotæque lanis
Emerita quæ cessat acu. Sententia prima
Hujus erit: post hanc ætate atque arte minores
Censēbunt, tanquam famæ discrimen agatur,
Aut animæ: tanta est quærendi cura decoris,
Tot præmit ordinibus, tot adhuc compagibus altum
Ædificat caput.

Juven. lib. 2. sat. 6.

Hinc annulis radiant digiti, aures unionibus, frons gemmis, col- lum monilibus, brachia armillis ; genarum purpurissum, ut inter se contraria magis elucescant, nigra distinguunt maculæ, *muscas* vocant ; rectius

(g) *Arrogantia & superbia feminarum.*

rectius *emplastra* dicas, quæ sibi illinit *superbia*; nec curatur tamen.
Merito Plautus in *Pœnulo*:

Negotii sibi qui volet vim parare, navem & mulierem,
Hæc duo sibi comparato. Nam nullæ magis res duæ
Plus negotii habent: eas fortè si exornare occæperis,
Neque unquam hæ duæ res satis ornantur, neque eis ulla satis
Ornandi satietas est.

Equidem mundus muliebris similis est apparatusi nautico: tantæ e-
nim molis, & moliminis est, unam adornare feminam. Verè dixit Te-
rentius in *Heautom*.

Nosti mores mulierum, dum poliuntur, dum comuntur, Annus
est: Nunquam satis lavantur, fricantur, terguntur, pinguntur, fin-
guntur, expoliuntur, exornantur. Hinc continua illis statio & excu-
biæ ad speculum. lib. 3, reg. 10. memoratur classis Salomonis deferens
ex *Tharsis* aurum & argentum, & dentes elephantorum, & simias, &
pavos. Quæ quidam applicat, pictis, fucatis, plumarum diversitate variega-
tis puellis, de quarum una *Tertullianus*: *Multicolor & discolor & versicolor*:
nunquam ipsa, semper alia, toties mutanda, quoties movenda lib. de
Pallio. c. 3. Quod si aliqua sit, quæ simul & *Junonem* divitiis, &
Palladem scientiâ, & *Venerem* æquare pulchritudine videatur, tum, su-
peri boni! quomodo sese circumspiciet, quale pennarum syrma expli-
cabit, quæ imperia dabit, qua servitute premet subjectos; quibus ocu-
lis aspiciet æmulas, quo supercilio spernet inferiores, quibus fastidiis de-
spiciet obsequia, ambitioni non commensa; qua fronte requiret officia
superbè sperata: quibus auribus sicut præconia; qua aviditate, & arro-
gantia hauriet adulatorios plausus: qua nare ringetur, quo stomacho
torquebitur, si parci sint *Numinis* hujus cultores? si desint qui *Palladi*
supplicent, *Veneri* litent, *Junonem* adorent? Et hoc genus dæ in pup-
parum modum adornatæ quoties suos decipiunt *Parides*, dum cuti-
cula sub dealbatâ, tegunt ulcera pure fluentia: sub amabili vultu, blan-
dis oculis, ridentibus labellis alunt *tigrides* & *pantheras*, tum pri-
mùm erupturas è stabulo, quando domum ductæ sunt hæ

Nymphæ, & infeliciâ vincula, nullo pos-
sunt cuneo dissolvi.

popularis auræ ; Divitiæ vi, furtove rapiuntur : Sola sapientia eripi non potest, quavis fortuna superior. *Gloriam sapientes possidebunt.* Prov. 3. Vice versa stulti infamiam, qualem Paris subiit, qui velut noctua de die cæcutiit, hoc est, ad sapientiæ, veri luminis objectum oculos non aperuit ; noctu verò, id est, in vanitate contemplanda acutissimus fuit. Aliter Alphonsus Rex Aragonum, qui rogatus, quomodo in tantis divitiis pauper effici posset ? respondit : Si sapientia venditaretur. Paris non admisit neque dono oblatam. Longè aliter elegit Salomon, qui, optio- ne à Deo data petendi, quidquid vellet, omnibus votis antehabuit sapi- entiam ; & ecce, quod ipsemet asserit Sap. 7. *Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa.* Opes scilicet, Potentia, Gloria, quæ reges omnium ætatum superavit. Paridi verò cum vecordî suo delectu vene- runt omnia mala pariter. Verè Seneca: Voluptas fragilis est, & brevis: fastidit objecta : quò avidius hausta est, citius in contrarium recidens : cuius subinde necesse est, aut pœniteat, aut pudeat. In qua nihil est aut magnificum, aut quod naturam hominis diis proximi deceat. Res hu- milis, membrorum turpium ac vilium ministerio veniens, exitu fœda. lib. 7. de benef. c. 2. Et quia tot mala ex unico malo, tam cruenta bel- la tam diræ cædes, clades, strages provenerunt, meritò *Discordia* hoc conflasse pomum, atque ad rixam concitandam projecisse fingitur. Hic oculos in pomum protoplastorum, & consequentes inde clades refle- cte.

VII. In Iudicio porrò hoc quanam partes litigantes fuère ? Tres Dææ ambitione inflatæ, de præstantia formæ decertabant. O superbum animal mulier ! Tanquam pro aris & focus pugnandum sit, sic feminæ pro venustatis prærogativa dimicant. Hinc illis formæ.

Est in consilio matrona, admotæque lanis
 Emerita quæ cessat acu. Sententia prima
 Hujus erit: post hanc ætate atque arte minores
 Censébunt, tanquam famæ discrimen agatur,
 Aut animæ: tanta est quærendi cura decoris,
 Tot præmit ordinibus, tot adhuc compagibus altum
 Ædificat caput.

Juven. lib. 2. sat. 6.

Hinc annulis radiant digiti, aures unionibus, frons gemmis, col- lum monilibus, brachia armillis ; genarum purpurissum, ut inter se contraria magis elucescant, nigra distinguunt maculæ, *muscas* vocant ; rectius

(g) *Arrogantia & superbia feminarum.*